

Ob-12

1885. s.



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSE

PER AESTATEM

A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCLXXXV.

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT PROFESSORIS DR. JULII MARQUARDT
DE CHRISTOLOGIA S. CYRILLI HIEROSOLYMITANI COMMENTATIO.

BRUNSBURGAE, 1885.
TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).




INDEX LECTURUM
1943:202

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

D R. WILHELMUS KILLING,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU



1943:202

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS
R E C T O R E T S E N A T U S

CIVIBUS SUIS

S.

Praeter tria illa quae catechumeni ecclesiae primaevae statuto tempore et ordine recipere solebant baptismi, chrismatis, eucharistiae sacramenta nescio an Cyrillus nullum aliud religionis christianae mysterium majori diligentia et pietate exposuerit, quam gravissimum de Jesu Christo salvatore dogma. Quod quum jam in catechesi IV inter alia, quae ibi universe tractavit, doctrinae christianae capita peculiari quodam studio adumbrasset, maxime in iis, quibus singulos symboli ecclesiastici de Christo domino articulos proprie interpretatur, orationibus X—XV tam accurate et pulchre de hoc mysterio disputat, ut neque a veritate et integritate sententiarum neque ab orationis virtute et suavitate quidquam desideres. Itaque deliberantem me de argumento scriptionis huic indici lectionum praemittendae ipsa res adduxit, ut ad celeberrimum quod exstat catechetae Hierosolymitani opus denuo me referens, quemadmodum ante haec septem octoque semestria sancti patris doctrinam de Verbo divino et aeterno illustravi, ¹⁾ sic nunc ex ejusdem auctoris catechesibus commentationem hanc de Verbo incarnato componerem vobisque, commilitones humanissimi, cum his paginis exhiberem. Quod eam inscripsi: de christologia etc., vobis signo erit, nos de sola persona Jesu Christi agere idque, auctore catecheta, non tam acute arguteque quam ad sensum popularem vulgaremque accommodate.

1. Qui catechumenis initiandis symbolum ecclesiae Hierosolymitanae explanavit Cyrillus, eodem symbolo et duce ac magistro in explicandis fidei articulis usus est; quod ut religiose pieque sequerentur, etiam auditores saepius admonuit. Quod symbolum quum eos juberet credere „(καὶ) εἰς ἓνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα Θεὸν ἀληθινὸν πρὸ πάντων αἰώνων, δι’ οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, ἐν σαρκὶ παραγεγόμενον καὶ ἐνανθρωπήσαντα ἐκ πατρὸς καὶ πνεύματος ἁγίου, στανρωθέντα κτλ.“ ²⁾, simul et eos docuit, summam totius de Jesu Christo doctrinae in eo esse positam, ut unum eundemque Christum confiterentur tum verum Deum esse, aeterna generatione ex patre editum (cat. 11), tum verum hominem factum esse, ex Maria virgine „in Bethlehēm olim natum“ (cat. 10, 10; cat. 11, 3). „Crede ergo in filium Dei, unum et solum dominum nostrum Jesum Christum, Deum de Deo genitum . . . qui non in temporibus ut esset accepit, sed ante omnia saecula aeternae ex patre genitus est (cat. 4, 7) . . . Crede vero etiam, eundem unigenitum Dei

¹⁾ Vid. commentationem meam: S. Cyrillus Hierosolymitanus quid de contentionibus et placitis Arianorum senserit Ind. lect. Partic. I 1880. Part. II 1881.

²⁾ Cf. symbolum ecclesiae Hierosolymitanae a Touttaeo, editore operum Cyrillianorum doctissimo, catechesi V in appendice additum (Editio Maur., in Patrologiae Cursum Completum a Migne curatum integra recepta).

filium propter peccata nostra de coelis ad terram descendisse, assumpta hac iisdem quibus nos subjicimur affectibus obnoxia humanitate (*ὁμοιοπαθῆ ταύτην ἡμῶν ἀναλαβὼν ἀνθρώπινην*), natumque esse ex sancta Maria virgine et spiritu sancto, facta non secundum inanem et fictam speciem — ut Gnostici et Doketae opinabantur — „sed secundum veritatem inhumanatione (*οὐ δοκίσει καὶ φαντασίᾳ τῆς ἐνανθρώπισεως γενομένης, ἀλλὰ τῆ ἀληθείᾳ*)“ (cat. 4, 9). Duas igitur naturas, quarum suam utraque originem et proprietatem habet, in Christo domino oportet recte distinguas, alteram dico divinam et aeternam, alteram humanam in hoc tempore ab eo assumptam; quas, ubi de Christo redemptore cogitas, ne permisceas et confundas. Nam „Verbum ipsum aeternum est, ante omnia saecula ex patre genitum; carnem vero nuper propter nos assumpsit“ (cat. 12, 4); quamobrem quum audieris evangelii illud: „Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abrahae“ (Matth. 1, 1), hoc de carne intellige. Etenim filius Davidis est in consummatione saeculorum, Dei vero filius ante omnia saecula, sine initio. Et illud quidem assumpsit, quod non habebat; hoc autem, quod habet, aeternae habet ex patre genitus. Atque illud quidem, quod secundum Davidem est, et tempori subjicitur et contrectatur et prosapiam habet, quae recenseatur; quod vero est secundum divinitatem, neque tempori subest neque loco, neque genus habet, quod recenseri possit. Generationem enim ejus quis enarrabit?“ (cat. 11, 5). — Nihil tamen vitiosius et pravius esset, quam quas distinguendas esse diximus in Christo duas naturas, eas putare ita esse diremptas et in duas partes distractas, ut Christus, qui unus est (cat. 10, 4 sqq.), ipse fere divisus videatur; immo potius „confitere, quod idem ipse unigenitus Dei filius (cat. 12, 4), manens secundum naturam id, quod erat, nullique conversioni obnoxiam dignitatem filii servans (cat. 10, 5), iste iterum natus est ex virgine“ (cat. 12, 4) et „humanitatem assumpsit“ (cat. 10, 7), ita ut, qui „Christum recipimus“, nullum alium recipiamus quam „Deum Verbum vere inhumanatum (*θεὸν λόγον ἐνανθρώπισαντα καὶ ἀληθείαν*)“ (cat. 12, 3). Unde nullum dubium relinquatur, quin Cyrillus, a distractione personae Christi non minus abhorrens quam a confusione substantiae, duas in Christo naturas unius personae vinculo crediderit esse conjunctas et symboli Hierosolymitani huc pertinentem articulum in eam partem interpretatus sit, ut, si non verbo, certe re, idem docuerit, quod docet celeberrimum illud quod sub Athanasii nomine fertur symbolum: „Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia dominus noster Jesus Christus Deus et homo est. Deus est ex substantia patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia matris in saeculo natus, perfectus Deus et perfectus homo... Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus; unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae.“ Sed hoc, si forte occasio tulerit vel res postulaverit, accuratius infra videbimus; illud unum res me monet, ut jam hoc loco addam, quod Cyrillus eam ipsam quam modo significavimus de Jesu Christo doctrinam, ut jam par est expectare, in gravissimis fidei christianae mysteriis numerat; quam qui reprobat et Christum dimidia tantum ex parte aut solum Deum esse aut nudum hominem intelligit, catechetae una cum divinitate et humanitate Jesu Christi etiam fundamenta evertere videtur, quibus omnis religionis, redemptionis, salutis christianae vis ac veritas nititur. „Qui sancta audimus evangelia, Johannis theologi audientes simus; ille enim, postquam dixit: „In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum“, deinde adjunxit: „Et Verbum caro factum est.“ Neque enim nudum hominem (*ψιλὸν ἄνθρωπον*) adorare fas est, neque pium, Deum solum absque humanitate dicere. Si enim Deus est Christus, uti quidem revera est, humanitatem autem non assumpsit, alieni a salute sumus. Adoretur igitur ut Deus, credatur vero humanam quoque naturam induisse. Neque enim hominem sejuncta divinitate dicere nobis expedit, neque a divinitatis confessione humanitatem sejungere ad salutem nostram conducit. Confiteamur regis et medici praesentiam. Rex enim Jesus medicinam allaturus, linteo humanitatis se praecingens (Joh. 13, 4), quod infirmum erat,

curavit; perfectus infantium magister puerum se cum pueris fecit, ut insipientibus sapientiam instillaret; coelestis panis ad terram descendit, ut aleret famelicos“ (cat. 12, 1).

2. Quae quum ita sint neque quisquam se salutem consecuturum esse sperare possit nisi per unum dominum nostrum Jesum Christum, filium Dei unigenitum eundemque incarnatum (cat. 10, 3), „ne te una cum Judaeis abripi et pessumdari patiaris, qui improbe impieque dicunt: Unus est solus Deus. Sed agnosce, simul et esse unigenitum filium Dei, dominum nostrum Jesum Christum, et ad illud, quod prophetae loquuntur, non ad id, quod Judaei dicunt, animum attende. Mirarisne, si despiciunt prophetarum voces, qui ipsos prophetas lapidarunt et interfecerunt? . . . Qui negat filium, neque patrem habet (I. Joh. 2, 23). Si ostium negaveris, praecclusus tibi ad patrem est ingressus (cf. Joh. 14, 6); si eum, qui (patrem) revelat, negaveris, manebis in ignorantia (Matth. 11, 27). Qui non credit in filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum (Joh. 3, 36). Indignatur enim pater, si filius ejus unigenitus honore privatur. Ecquis patrem unigeniti filii causa commotum leniet et exorabit? Si quis igitur erga Deum pius esse velit, filium adoret; aliter cultum ejus pater non admittet. In filio (incarnato) pater ipse sibi bene complacuit (Matth. 3, 17); nisi tu quoque complaceas, vitam non habebis“ (cat. 10, 1—2). — Si vero quaeritur, quis sit ille, qui „credentibus salutem affert“ eosque „ad coelestem patrem ducit filius Dei et dominus (cat. 10, 3), Cyrillus iterum ac saepius respondet: „Christus dominus est ille, qui natus est in civitate David“ (Luc. 2, 11); „dominus est filius Dei, dominus natus in Bethlehem Judaeae“ (cat. 10, 16 et 10), omnesque „infelices et miseros“ dicit, qui hunc „unum dominum nostrum Jesum Christum“ non agnoscunt (cat. 10, 12; cat. 11, 3). — Sed hoc loco „multi pugnant et interrogant: Quae tanta fuit causa, cur Deus ad humana descendit, et quomodo fieri potuit, ut Deus commercium haberet cum hominibus?“ (cat. 12, 4). Quo melius „Christi adventus causam cognoscas“ et refellas quae contra dicuntur, „ad primum scripturae librum recurre“ (cat. 12, 5), ubi invenies, primum hominem, quum peccasset, „plaudente diabolo ex paradiso ejectum“ (l. c.) totamque proinde „gentem humanam tanto vulnere“ fuisse oneratam, ut vel „ipsum, quod Deus sibi elegerat, genus Israeliticum sauciatum jaceret et qui medicinam afferrent prophetae, morbi vi superati, deplarent“ (cat. 12, 6) et „supplicarent: Domine, inclina coelos et descende (Ps. 144, 5); exsuperant medicinam nostram mortalium vulnera; emendari per nos malum nequit, te indiget emendatore“ (cat. 12, 7). „Quas prophetarum preces dominus audivit et filium suum dominum de coelis misit medicum“ (cat. 12, 8). Quid autem? Si „Deus, sicut ipse est“, in terram venisset, numquis „eum intueri et capere eoque frui potuisset?“ (cat. 12, 13). Si „populus Israeliticus, quum dominus in igne super montem Sinaiticum descenderet, hoc non sustinuit, sed ad Moysen dixit: „Loquere tu nobis et audiemus, nec loquatur ad nos Deus, ne forte moriamur (Exod. 20, 19); quae est enim omnis caro, quae audierit vocem Dei viventis et vivat (Deut. 5, 26) — si, inquam, jam vocem Dei loquentis audire mortem affert, Deum ipsum cernere quomodo mortis causam non afferret?“ (l. c.) „Quid igitur tibi placet? Illum, qui ad salutem nostram venit, interitus nobis causam fieri, eo quod ipsum mortales non possent sustinere, an potius, eundem ad modum nostrum gratiam suam accommodasse? Daniel propheta ne angeli quidem conspectum tulit, et tu angelorum domini conspectum sustinuisses?“ (cat. 12, 14).³⁾ Minime vero;

³⁾ Similis est locus cat. 10, 7, ubi Cyrillus, quum ex testimonio Pauli (I. Cor. 10, 4; Hebr. 11, 17) demonstrasset, Christum jam in veteri testamento Moysi apparuisse, hunc in modum pergit: „Iste Moyses ad eum dixit: Ostende mihi te ipsum, ut scienter videam te. Ille autem ait: Nemo videbit faciem meam et vivet (Exod. 33, 13, 20). Vides, et tunc prophetas Christum vidisse, sed quantum quisque capere potuit. Propterea igitur, quod divinitatis faciem vivens nullus videre potest, humanitatis faciem Christus assumpsit, ut hanc videntes viveremus. Atque adeo quum hanc ipsam cum modica quadam dignitate ostendere voluisset quumque vultus ejus resplenderet ut sol, tamen discipuli conterriti procumbunt (Matth. 17, 5, 6) . . . Quomodo in ipsam quis divinitatis majestatem inspicere posset?“

quocirca „Deus factus est id, quod nos ipsi sumus, ut sic digni efficeremur, qui eo frueremur“ (cat. 12, 13). „Experientia imbecillitatis nostrae demonstrata, assumpsit dominus hoc, quod homo requirebat; quum a simili sui parte audire homo cuperet, similitum affectionum naturam salvator induit, ut homines facilius erudirentur“ (cat. 12, 14). „Atque haec quidem causa una; sunt autem et aliae (cat. 12, 15). Homines enim, derelicto Deo, humanae formae simulacra sibi fecerunt“, quae quum „falso tamquam Deum adorarent, Deus vere homo factus est, ut mendacium dissolveretur. Carnis contra nos instrumento diabolus utebatur; quibus igitur armis diabolus nos expugnabat, iisdem et salvi facti sumus. Naturam nostrae similem ex nobis dominus assumpsit, ut naturae humanae salutem impertiretur; similitudinem nostram accepit, ut ei, quod defectum patiebatur, majorem afferret gratiam, ut peccatrix natura humana Dei particeps redderetur. Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia (Rom. 5, 20). Oportuit dominum pro nobis pati; sed non ausus fuisset accedere diabolus, si ipsum cognovisset. Esca igitur morti objecta corpus (domini) fuit, ut, quum illud se devoraturum esse draco speraret, simul et eos evomeret, quos jam devoraverat“ (cat. 12, 15).⁴⁾ — „Numquid jam frustra Christus inhumanatus est? Crede Deum hominem factum“ (cat. 12, 16).

3. Quibus rebus cognitis, facile etiam intellectu est, quid sibi velint illa nomina, quibus Christum redemptorem secundum symbolicam fidei regulam appellare solemus. „Unum enim dicimus, ut unica sit filietas; unum dicimus, ne nominum multitudo, multiplicem ejus efficientiam significans (cat. 10, 3), te ad multorum filiorum opinionem perducatur, et propter errores haereticorum,⁵⁾ qui alium dicunt Christum esse, alium Jesum, alium ostium. Quamvis enim appellationes numero sint multae“ — appellatur enim janua, via, ovis, pastor, leo, vinea, mediator, summus sacerdos etc.⁶⁾ — „una tamen iis

⁴⁾ Respecto orationis contextu, sententia his verbis subjecta mihi videtur haec esse: Per peccatum, ut supra expositum est, omnes homines in ditionem diaboli venerant. Qua in ditione sine dubio permansissent, nisi filius Dei naturam humanam assumpsisset, ut quibus armis diabolus omnes superaverat, iisdem et ipsum diabolum superaret et devinceret. Quum enim sperandum non esset, fore ut diabolus quemquam aggrediretur, quem suae dominationi subesse non putaret, ille qui ad vim diaboli perfringendam venerat Christus, speciem humanam indueret oportuit, ita quidem, ut inter Christum et ceteros homines nihil videretur interesse. Christus igitur homo se tradidit pro omnibus interficiendum, quamvis mortis poenam non commeruisset; quem quum diabolus, humana ejus specie deceptus, sicut reliquos omnes in sua se potestate habere existimasset et injuste petiisset, jus suum et dominationem, quam antea in homines habuit, amisit et a Christo devictus non solum Christum, sed etiam omnes, pro quibus Christus morti se dederat, vitae reddere debuit, h. e. totum genus humanum, quod diabolus servitute oppressum tenuerat et quodammodo devoraverat, Christus per mortem et resurrectionem e servitute diaboli (peccati, mortis) in libertatem et vitam restituit. Cf. Schwane, Dogmengeschichte der patrist. Zeit S. 344. — Touttaeus (l. c. p. 741, not. 3) extrema hujus loci verba: „(Ut draco) simul et eos evomeret, quos jam devoraverat“ de solis justis veteris testamenti intelligit; quos quum tamdiu orcus tenuisset, Christus demum ex eo eripuerit. Simillima enim haec verba illis locis esse, quibus Cyrillus de Christo ad inferos descendente disputans dicat haec: „Et ille (Jonas) projectus est in alvum ceti, iste (Jesus) vero sua sponte descendit in locum, ubi erat intelligibilis cetus mortis; sua sponte descendit, ut mors eos, quos absorbuerat, evomeret (cat. 14, 17)... Qui quidem (Christus) ad inferos (εἰς ᾗδην) descendit solus, sed cum plurimis huc rediit. Descendit enim in mortem, et multa corpora sanctorum, qui obdormierant, per ipsum excitata sunt (cat. 14, 18). Exterrita mors est, novum quendam ad inferos descendentem videns, qui hujus loci vinculis non tenebatur... Accurrerunt sancti prophetae, et Moyses legislator et Abraham et Isaac et Jacob, David quoque et Samuel, et Jesaias et Johannes baptista: redempti sunt sancti omnes, quos mors absorbuerat; oportuit enim regem, qui praedictus fuerat, optimorum praeconum fieri redemptorem“ (cat. 14, 19. Cf. cat. 4, 11).

⁵⁾ Hujusmodi haereticos revera existisse, apud antiquissimos ecclesiae patres legimus. Auctoribus Irenaeo (l. I, c. 26, n. 1; c. 30, n. 12), Justino (apol. II, p. 70 et 92), Tertulliano (cont. Marc. l. I, c. 6.) imprimis Cerinthus, Ophitae, Marcion Jesum a Christo distinxerunt; et Valentiniiani usque eo progressi sunt, ut ex variis Christi appellationibus et virtutibus varias ejus personas confingerent. Cf. Toutt l. c. p. 365 not. 3.

⁶⁾ „Unicuique enim secundum id, quod ipsi conducit, varius salvator efficitur. Quibus laetitia opus est, iis vinea fit; illis, quos ingredi oportet, ostium; iis, qui preces offerendas habent, constitutus est mediator, summus sacerdos; habentibus autem peccata fit ovis, ut pro illis mactetur. Omnibus efficitur omnia... Optimus tamquam medicus et magister aequedolens ad nostras se demittit infirmitates.“ Cat. 10, 5.

omnibus subjecta est persona“ (cat. 10, 3 sqq.). „Jesus“ autem vocatur „conveniente sibi nomine, a salutari medicina appellationem habens (cat. 10, 4); Jesus enim apud Hebraeos salvatorem significat, in lingua vero Graeca cum qui sanat,⁷⁾ quandoquidem animarum et corporum est medicus“ (cat. 10, 13). Idem denique „Christus appellatur, quia sacerdotio fungitur (cat. 10, 11); summus enim sacerdos est . . . non factitio oleo unctus, sed ante saecula a patre,⁸⁾ aliisque eo excellentior, quod sacerdotium ejus jurejurando confirmatum est (Ps. 110, 4. Hebr. 7, 17), ita quidem, ut accedente ad voluntatem Dei juramento per duas res immutabiles, in quibus Deus mentiri non potest, nos qui Jesum Christum Dei filium recipimus (cat. 10, 14) firmam fidei consolationem habeamus“ (Hebr. 6, 18). Quam fidem et consolationem Cyrillus ut pro sua parte quam maxime confirmet atque augeat, adversus Judaeos non solum ex literis divinis demonstrat, Christum dominum hoc nomine jam ab omnibus prophetis (cat. 10, 7; cat. 12, 13; cat. 14, 26) et ab ipsis daemonibus cognitum esse (cat. 10, 7 sqq. et 15), verum etiam ex diffuso per orbem terrarum Christianorum novo nomine⁹⁾ veritatem religionis christianae comprobat multisque, quibus dignius credi non possit, utens testibus omnes nervos contendit, ut auditorum animos ad fidem in Christum, Deum incarnatum, reddat inclinatiores.¹⁰⁾

4. „Humanam igitur naturam Jesus Christus dominus noster induit, verum a multis ignorabatur“ (cat. 12, 3). Ut Judaei Christum ex Maria virgine natum omnino rejecerunt (cat. 10, 15; cat. 12, 2),

⁷⁾ Cf. cat. 10, 11: „Jesus autem Christus duplici vocabulo appellatur: Jesus, quia salutem dat; Christus, quia sacerdotio fungitur. Quod probe sciens Moyses propheta divinus, duobus viris selectissimis duas illas appellationes attribuit: alterum quidem, Ausen principatus sui successorem, mutato nomine, Jesum appellans“ — h. e. Josuen; antea ei nomen erat Ause vel Hose(as) (IV. Mos. 13, 17; Act. 7, 45; Hebr. 4, 8) —; „proprio autem fratri Aaroni Christi nomen adjungens, ut per duos eximios homines conjunctam in futuro uno Jesu et regiam et pontificiam potestatem repraesentaret. Christus enim Aaronis instar summus est sacerdos . . . typum vero illius (Jesu) multis in rebus gessit Jesus, filius Naves etc.“

⁸⁾ Vid. hac de sententia commentationem meam: S. Cyrillus etc. I. c. Part. II p. 11.

⁹⁾ Cat. 10, 16: „Sed dixerit quispiam: Novum est Christianorum nomen et antea inauditum, novis autem rebus saepe propter ipsam novitatem contra dicitur. Praeoccupavit hoc propheta dicens: Servientibus mihi imponetur nomen novum, quod benedicetur super terram (Isai. 65, 15—16). Quaeramus ex Judaeis: Servitis domino necne? Ostendite mihi nomen vestrum novum . . . Ubinam nomen novum? Nos autem, quandoquidem domino servimus, nomen novum habemus . . . Terram universam corripuit hoc nomen; Judaei enim unius regionis terminis circumscripti, Christiani vero ad fines terrae propagati. Quod enim annuntiatur, unigeniti filii Dei est nomen“.

¹⁰⁾ „Multa exstant, dilecti, vera de Christo testimonia. Testatur pater e coelo de filio, testatur spiritus s., descendens corporaliter in columbae specie; testatur Gabriel archangelus Mariae evangelizans; testatur beatus praesepii locus. Aegyptus testis est, quae dominum infantem recepit; testis Simcon . . . et Anna prophetissa . . . Testatur Johannes baptista, prophetarum quidem maximus, novi vero testamenti princeps atque in se quodammodo connectens ambo testamenta. Inter flumina testis est Jordanis, inter maria Tiberiadis mare. Testantur caeci, testantur claudi, testantur mortui in vitam revocati; testantur daemones, testantur venti ejus imperio pressi et refraenati; testantur quinque panes in quinque virorum millia divisi. Sanctum crucis lignum testatur, quod ad hodiernum usque diem apud nos conspicitur et per eos, qui fide impellente ex eo frusta decerpunt, orbem fere totum hinc jam replevit. Testatur palma in valle sita, quae ramos pueris Christum quondam encomio celebrantibus praebuit. Gethsemane testatur, Judam quasi demonstrans iis, qui intelligunt. Sanctus iste Golgatha super cetera editus testatur, conspicuum se ostendens; testatur monumentum persanctum et qui usque ad hunc diem jacet lapis. Testis est sol, testes tenebrae . . . Testis sanctus ille mons Olivarum, ex quo ad patrem ascendit . . . Testantur, qui antea inimici (Christi) fuerant; quorum unus est beatus Paulus, qui modico quidem tempore inimicitias gessit, diuturno vero servitium exhibuit. Testantur apostoli duodecim, qui non verbis tantum, sed et tormentis et mortibus propriis veritatem praedicaverunt. Testatur umbra Petri, quae in Christo nomine aegros sanabat, testantur similiter sudaria et semicinctia Pauli. Testantur Persae et Gothi et ex gentilibus omnes, qui mortem pro eo oppetere non dubitant, quem carnis oculis non conspexerunt. Testantur daemones, qui fidelium ministerio hodie quoque expelluntur (cat. 10, 19). Tam multi et diversi et plures etiam sunt testes: jamne igitur Christo tot testimoniis comprobato denegabitur fides? Si quis igitur est, qui antea non crediderit, credat nunc; qui vero ante fidelis fuit, majus fidei incrementum accipiat“ (cat. 10, 20).

ita „alii negaverunt, eum revera natum esse: ¹¹⁾ alii natum quidem concesserunt, non tamen ex virgine, sed ex muliere viro permixta¹²⁾; alii non Deum Jesum Christum ajunt inhumanatum esse, sed hominem quendam deificatum¹³⁾, dicere audentes, non illud Verbum, quod praeexistebat, hominem factum esse, sed hominem quendam profectus sui merito coronatum esse“ (cat. 12, 3). Quid de omnibus his haereticorum placitis sentiendum sit, facile quidem perspicies, si „memineris eorum, quae tibi de divinitate (Christi) dicta sunt“, ex quibus jam exploratum habes, „unigenitum ipsum Dei filium (cat. 12, 4), Deum Verbum, inhumanatum esse, non ex voluntate viri et mulieris, sed ex virgine et spiritu sancto, non specie, sed veritate“ (cat. 12, 3). Eadem occasione etiam admonitus es, „filium Dei quum audis, ne per adoptionem existimes eum filium Dei factum esse et e servitute ad gradum filii evectum. Non enim, ut quidam putant, post passionem quasi coronatus a patre pro obedientiae mercede divinum honorem accepit, sed ex quo est — est autem ab omni aeternitate genitus — regiam divinamque habet dignitatem“ (cat. 4, 9; cf. cat. 11, 17). „Ne perferas igitur eos, qui perverse asserunt, post crucem et resurrectionem et factum in coelos reditum filium a dextra patris sedere coepisse, sed ab omni aeternitate ex patre genitus etiam sedet una cum patre“ (cat. 14, 27, 30).¹⁴⁾ Neque tamen catecheta verbis tam paucis rem omni ex parte transegisse sibi videtur, sed quum „varius sit adversariorum error“, facere non potest, quin „singula dissolvat“ (cat. 12, 3—4).

Atque Judaeis quidem, „qui Christum, quum advenit, rejiciunt aliumque, qui infauste venturus est, expectant“, qui „verum Christum repudiaverunt, impostorem vero in errorem abducti recipient“, quaestionem proponere licebit, „veraxne sit Isaias propheta, Emmanuelem dicens e virgine nasciturum, an mendax? Si quidem illum ut mendacem crimentur, nihil mirum; mos enim est illis, prophetas non solum quasi mendaces insimulare, sed etiam lapidibus opprimere; sin verax propheta fuerit, ostendite Emmanuelem. Item (eos interrogare licet): Is qui venturus est, quem expectatis, ex virgine prodibit neene? Si ex virgine non nascitur, falsi arguitis prophetam; si vero id in posterum expectatis, cur id, quod jam factum est, repudiatis?“ (cat. 10, 2). Eodem modo et consilio Cyrillus etiam alias, quae sunt de Christo, vaticinationes percurrit (cat. 12, 5—9; cat. 13) neque facile quidquam ad Jesum filium virginis pertinens reperiri posse ostendit, quod non a veteribus prophetis jam praedictum et vero rerum eventu comprobatum esse videamus. Quid? quod per prophetas non solum tempus et locum ¹⁵⁾, quibus Christus sit adventurus, sed illud quoque praenunciatum esse scimus, fore ut „ex

¹¹⁾ Doketae (Gnostici). Cf. cat. 4, 9.

¹²⁾ Ebionitae, quum Christum nudum hominem (veritatis prophetam) haberent, eundem etiam similiter atque reliquos homines ex Josepho et Maria genitum esse putabant.

¹³⁾ Paulus Samosatensis et Photinus, qui in hoc convenerunt, ut peculiarem Dei virtutem (*λόγον*) in Jesu homine habitasse dicerent, quae effecerit, ut Dei filius (adoptivus) factus sit.

¹⁴⁾ Observandum est, a Cyrillo hic et alibi (cat. 11, 15) eos tantum refelli, qui Verbum seu filium divinum negabant ante incarnationem regni paterni participem fuisse neque prius eum gloriam et dominationem coelestem habuisse putabant, quam peracta demum passione et resurrectione. Tam male de Christo existimasse Paulum Samosatensem, Athanasius narrat (orat. II cont. Arian. n. 13), idemque Arianos sensisse, cum eodem Athanasio Cyrillus Alexandrinus tradit (thes. assert. 13 et 15). — At Christum ut hominem pro merito passionis suae sedem ad dextram patris obtinuisse, per se intelligitur et a s. Paulo (Hebr. 2, 9; 10, 13; 8, 1) et ab ipso Cyrillo diserte docetur; legimus enim cat. 4, 14 haec: „Qui in Golgatha isto crucifixus fuit, ex Olivarum monte ad orientem sito in coelum ascendit. A terra enim ad inferos descendens atque inde ad nos reversus iterum in coelum abiit, acclamante ei patre: Sede a dextris meis“; et cat. 13, 6: „Ut Deus glorificabatur ab aeternitate; nunc vero glorificabatur, reportata patientiae corona . . . Venit igitur ex sua optione et potestate ad passionem, gaudens de eximio opere, laetabundus de corona, plaudens sibi de hominum salute.“

¹⁵⁾ Cf. cat. 10, 17—20, ubi vaticinia Jacobi (Genes. 49, 8 sqq.), Danielis (2, 27 sqq; 9, 25), Michaeae (5, 2) Davidis (Ps. 131, 6) a Cyrillo explanantur.

sancta virgine de gente Davidica“ nasceretur (cat. 12, 20 sqq.).¹⁶⁾ Tantum igitur abest, ut virginalis Christi origo offensionem nobis afferat, ut certissimum sit argumentum, quo fides nostra firmatur. Quapropter „eos respuamus, qui ortum salvatoris ex viro et femina contigisse affirmant neque dicere verecundantur, eum ex Josepho et Maria procreatum esse, eo quod scriptum sit: Et accepit (Joseph) conjugem suam (Matth. 1, 24). Reminiscamur Jacobi, qui, priusquam Rachelem sumeret, dixit ad Laban: Redde uxorem meam (Gen. 29, 21). Sicut enim ille ante nuptiarum sanctionem propter solam quae intercesserat promissionem Jacobi uxor appellabatur, sic et Maria propter desponsationem uxor Josephi dicta est. Vide evangelii accuratam loquendi rationem: In mense sexto missus est Gabriel angelus a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph (Luc. 1, 26); et alio loco: Ascendit autem et Joseph a Galilaea, ut describeretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante (Luc. 2, 4—5). Non dicit scriptura: cum uxore sua, sed desponsata. Misit enim Deus filium suum, inquit Paulus (Gal. 4, 4), non factum ex viro et muliere, sed solum: factum ex muliere, h. e. ex virgine. Nam mulieris nomine etiam virginem appellari, tibi jam compertum est. Ex virgine enim natus est, qui animas efficit virgines“ (cat. 12, 31).

Praeter Judaeos catecheta maxime Docketas, quos vocamus, Gnosticos et Manichaeos, impugnat, qui quum carnem humanam natura turpem et peccati sedem esse putarent, Christum ex Maria matre non veram humanitatem, sed solam speciem corporis humani sumpsisse opinabantur. „Ne perferas haereticos“, monet Cyrillus, „qui Christum sola specie et opinione (*δοξίσει καὶ γανιωσίᾳ*) advenisse docent“ (cat. 12, 31); neque enim „secundum vanam opinionem et inanem speciem, sed secundum veritatem ex sancta virgine et spiritu sancto incarnatus est (*σαρκωθεὶς*); neque per virginem quasi per canalem trajectus, sed ex ea vere natus et lacte ejus nutritus est, vere edens ut nos et vere bibens sicut nos (cat. 4, 9), quemadmodum et vere crucifixus est et vere resurrexit (cat. 13 et cat. 14). — Non mirandum nobis videtur, quod catecheta Hierosolymitanus, reverentia sacri loci, ubi orationes habuit, ut qui maxime commotus et, praesentibus ipsius vitae, passionis, gloriae Christi venerandis monumentis, revera „videns et tangens, quae alii tantummodo audiunt“ (cat. 13, 22), nihil fere antiquius habet, quam ut catechumenos de vera humanitate Christi convincat; praesertim quum ipsi persuasissimum sit, „si humanae naturae assumptio commenticia (*μυθώδης, γανιωσιώδης*) fuerit, commenticiam esse et omnem nostram salutem“ (cat. 4, 9; cat. 13, 4). Si enim Christus ex Maria virgine humanitatem non assumpsit nisi ficta specie et opinione, „vel ipsa crux nihil erit nisi vana species et imago. Si autem specie tantum Christus crucifixus est, quum quidem e cruce salus nobis eveniat, ipsa etiam redemptio inani specie constabit. Si imaginaria tantum crux, imaginaria pariter et resurrectio; si autem Christus non resurrexit, adhuc in peccatis nostris sumus (I. Cor. 15, 17). Si crux imagine et opinione constat, imagine pariter ascensio (Christi in coelum); si autem ascensio, similiter et secundus adventus, et omnia denique nulla solida re consistent“ (cat. 13, 37; cat. 13, 4). „Obmutescant igitur haeretici, qui humanitatem Christi reprobant; revincet eos spiritus sanctus, indignabitur iis virtus altissimi, quae virginem obumbravit (Luc. 1, 35); confundet eos praesepii locus, qui dominum excepit (Luc. 2, 7), et templum, in quod introductus est die quadragesima (Luc. 2, 22 sqq.), et qui tunc eum ulnis amplexus est Simeon et quae adfuit Anna prophetissa (cat. 12, 32); arguet eos locus ipse conspicuus, sanctus ille Golgatha (cat. 4, 10), juxta quem¹⁷⁾ nunc omnes propter eum, qui ibi crucifixus

¹⁶⁾ Hoc Cyrillus (cat. 12, 20 sqq.) imprimis ex vaticiniis Davidis (Ps. 131, 11; 88, 30 sqq.) et Isaiae (9, 5 sqq.; 11, 10) comprobatur.

¹⁷⁾ Intellige illum locum Golgathae montis, ubi crux stetit. Alibi (cat. 4, 10 et 16; cat. 16, 4) Cyrillus se in ipso Golgatha monte orationem habere dicit, idque jure dicere potuit, quia ecclesia Resurrectionis, in qua catecheses habuit, intra Golgatham montem in loco sepulchri aedificata erat.

est, congregati sumus; redarguet eos crucis lignum, ejus particulae ex hoc loco per totum jam mundum distributae sunt (cat. 13, 4; cat. 4, 10); confutabit eos is ipse, qui dixit: Contrectate me et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere (Luc. 24, 39 sq.; cat. 12, 33); coarguent eos innumerabiles vitae, passionis, resurrectionis Christi testes (cat. 13, 38 sqq. cat. 14, 22 sqq.). Ceterum ex haeticis, qui propter mentitam corporis humani turpitudinem Christo humanitatem abjudicant, Cyrillus libenter audierit, quid tandem in corpore inveniri possit, quod „reprehensione dignum sit“ et quod ipsos adducat, ut „corpora vel potius eum, qui corpora creavit, tantopere criminentur?“ (cat. 12, 26). „Ne mihi dixeris, corpus peccandi causam esse; neque enim corpus per se ipsum peccat, sed anima per corpus (cat. 4, 22); te ipsum contine, neque quidquam pravi ex membris existet“ (cat. 9, 13). Quodsi „nihil turpe in corpore inest, nisi ipsum libidine inquinat“¹⁸⁾, carnem humanam assumere „minime is deterreri potuit, qui illorum corporum ipse est creator“. An forte „Deum, qui in fingendis hominibus non probro sibi duxit, membra inter se conjungere, eum pudere oportuit, sanctam carnem sibi ad velandam divinitatem propter se ipsum ex Maria virgine effingere?“ (cat. 12, 26).

5. Si qui vero sunt, qui „fieri potuisse negent, ut Christus ex sola virgine sine viro nasceretur, gentiles certe ex suis ipsorum fabulis refellendi sunt... Qui enim ex cerebro filiam ortam esse fabulantur, quomodo affirmare audent, ex virginali utero filium nasci non posse? Qui ex femore Jovis falso Bacchum editum esse asserunt, quomodo veram nostram doctrinam respuere possunt?“ (cat. 12, 27). Judaei autem Sarae recordentur, quae sterilis in senectute peperit (Gen. 21, 2); quod enim anus sterilis partum edidit, non minus difficile et praeter naturam esse videtur, quam quod virgo in flore aetatis peperit, neque fas est dicere, Deum illud facere potuisse, hoc non potuisse (cat. 12, 18). — Sed quum Judaei et ceteri, qui „contra nos hac de causa pugnant, in hoc argumento non acquiescant, nisi similibus admirabilis partus testimoniis confutentur“ (cat. 12, 19), proferamus alia exempla. „Ex corporibus corpora procreari, licet mirum videatur, tamen fieri id posse nemo negat... Sed unde Adam factus est? Nonne Deus, pulverem e terra sumens, admirabile illud figmentum comparavit? Quid ergo? Lutum in oculum transformatur, et virgo filium edere non poterit? Quod hominibus nullo pacto effici posse videtur, id factum est; et quod per se ipsum facilius est ad credendum, hoc non fiet?“ (cat. 12, 30). „O stultissimi Judaei! Quid difficilius vobis videtur, virginem parere, an virgam in animantem mutari? Confitemini, sub Moyse (Exod. 4, 1 sqq.) ex virga rectissima serpentem esse formatum... et oculos, videndi vi praeditos, inde esse enatos; et ex carne virginali, Deo volente, non nascetur puer? Taceo, quod Aaronis virga id, quod ceterae arbores plurium annorum spatium producent, hoc ipsum una nocte protulit (Num. 17, 8)... et ille, qui virgae propter summum sacerdotem typicum (sc. Aaronem) fructum supra naturam ferre dedit, nonne virgini propter verum summum sacerdotem pariendi facultatem tribuerit?“ (cat. 12, 28). Immo vero etiam „deciit, eum, qui purissimus est et puritatis magister, ex puris prodire thalamis. Si enim jam is, qui apud Jesum bene fungitur sacerdotio, abstinet a muliere, ipse Jesus quomodo ex viro et muliere prodire potuisset?“ (cat. 12, 25). „Quid? Eva ab initio omnium mater, ex qua orta est? Quae mater illam matre carentem feminam concepit? Dicit autem scriptura (Gen. 2, 22), ex Adami costa eam esse effectam. Eva igitur sine matre ex viri latere nata esse creditur, puer vero ex virginis utero absque viri opera nasci non possit? Reddenda erat viris a sexu femineo gratia. Eva namque ex

¹⁸⁾ Hujusmodi verbis peccatum originale non negari et „peccato ipsum corpus inquinari“ (cat. 4, 24), ut ex plurimis aliis locis (cat. 2, 5; cat. 12, 5 sqq.; cat. 13, 2 et 33; cat. 15, 1; cat. 19, 4, sqq.), ita maxime ex usu exorcismorum perspicitur, quos ut summa diligentia et religione suscipiant, auditores suos catecheta etiam atque etiam adhortatur (procat. 9; 13, 14. cat. 1, 5; cat. 16, 19; cat. 20, 2 sq.).

Adamo nata fuerat, non ex matre concepta, sed ex viro solo tamquam partu edita; reddidit ergo hujus gratiae debitum Maria, quae non ex viro, sed ex se sola incontaminate de spiritu sancto per virtutem Dei genuit“ (cat. 12, 29). Accedit, quod „per Evam virginem venit mors; oportuit etiam per virginem vel potius de virgine prodire vitam, ut quemadmodum illam decepit serpens, ita huic Gabriel bonum nuntium afferret“ (cat. 12, 15). Manet quidem, quod factum est, id nobis esse mirandum; „sed hoc mirabatur et ea ipsa, quae genuit; dicit enim ad Gabrielem: Quomodo fiet istud, si quidem virum non cognosco? Ille vero respondit: Spiritus sanctus superveniet in te etc. (Luc. 1, 34 sq.). En puram et incontaminatam generationem! Ubi enim spiritus sanctus spirat, ibi deleta est omnis macula¹⁹⁾, Incontaminata est unigeniti filii ex virgine in carne nativitas“ (cat. 12, 32).

Haec fere sunt, quae de mysterio incarnationis in catechesibus s. Cyrilli inveni, inventa in unum congeSSI congeStaque vobis, commilitones humanissimi, totidem ferme verbis, quot ipse usus est, hoc loco putavi offerenda. Statutum enim habui ac deliberatum, antiqui catechetæ sententias, quemadmodum auditoribus ab ipso quondam traditæ sunt, sic esse et a me lectori studioso reddendas, neque vereor, ne cui non tanto potiores et exoptatiores visæ fuerint, quanto minus iis a nobis aut detractum quidquam fuit aut additum.

6. Sed antequam scribendi finem faciamus, unum nobis reliquum est: ut commentationem nostram referentes eo, unde est profecta, paucis dicamus, eequid ex Cyrillo afferri possit, quod ad doctrinam, quam de unione hypostatica vocare solemus, pertineat. Etenim si Christus tum verus Deus est, ab aeternitate ex patre genitus, tum verus homo, in tempore ex Maria virgine natus, non possumus non interrogare, quo tandem modo natura divina cum humana conjuncta sit et unita. Qua de quaestione quum Cyrilli aetate, quantum sciamus, controversiæ moverentur nullae et ecclesia ipsa proximo demum saeculo post, quam Cyrillus orationes catecheticas habuit, contra Nestorium et Eutychem haereticos per concilium Ephesinum (a. 431) et Chalcedonense (a. 451) fidem orthodoxam certis definitisque verbis exprimeret, neminem eo falli posse existimo, quod Cyrillus sicut alii qui ante illas haereses scripserunt patres ecclesiae nec proprie nec definite hoc dogma enodavit et in fide ecclesiastica necdum impugnata conquievit, praesertim quum ejus non tam interesset, de communionem naturarum disputare, quam veritatem utriusque naturae contra Arianos et Gnosticos defendere. Quamquam jam supra vidimus, tantum abesse, ut in asserenda naturarum veritate ac diversitate modum excedat et personam ipsam distrahat, ut vestigiis symboli ecclesiastici insistens Christum dominum per veram incarnationem ad divinam suam immutabilemque substantiam ita naturam humanam doceat assumpsisse, ut utraque natura in unam personam concurrat et uni atque indiviso Christo naturales et Dei et hominis actiones conveniant. Qualis intelligenda sit haec Christi incarnati persona, diserte quidem nusquam ab eo exponitur; sed divinam esse ipsius Verbi sive filii Dei personam, jam ex plurimis illis locis effici cogique potest, quibus *λόγος* sive filius Dei, ab omni aeternitate existens, idem et „incarnatus“ vel „inhumanatus“ esse et „humanitatem ad divinam nullique conversioni obnoxiam filii Dei dignitatem assumpsisse“ dicitur (cf. p. 4 sqq.). Respectis igitur naturis, „duplex quidem Christus erat: homo secundum id, quod videbatur, Deus vero secundum illud, quod latebat“ (cat. 4, 9); et duplex in eo erat vivendi agendique ratio; „vere manducavit ut homo, quemadmodum et nos, sed ut Deus hominum quinque millia quinque panibus nutrit; vere mortuus est ut homo, sed mortuum quatruiduanum in vitam revocavit ut Deus; vere dormivit in navigio ut homo, sed ambulavit super aquas ut Deus“ (l. c.). Sed licet propter diversas quas

¹⁹⁾ Cat. 17, 6: „Hic spiritus s. est, qui in s. Mariam virginem venit. Quum enim Christus esset, unigenitus, qui generaretur, virtus altissimi obumbravit eam et spiritus s. sanctificavit eam, ut capere posset eum, per quem omnia facta sunt.“

conjunctas naturas aliud sit Christus Deus, aliud Christus homo, et licet aliud fecerit ut Deus, aliud ut homo — fecit enim utraque natura id, quod utriusque naturae maxime fuit suum —, tamen non alius est Christus Deus nec alius Christus homo, sed personae ratione habita unus idemque Christus est, qui pariter hoc atque illud fecit; quapropter Cyrillus nihil dubitavit, non solum divinas sed etiam humanas Christi partes et actiones et vel ipsam passionem ac mortem ad divinam Christi personam deferre. Ita demum fit, ut „tibi non mirum videatur, totum orbem redemptum esse. Non enim nudus homo, sed unigenitus Dei filius erat, qui ea de causa mortuus est (cat. 13, 2) ... non nudus homo, ut jam dictum est, pro nobis crucifixus est, sed filius Dei Deus, homo factus. Atque agnus quidem ille ex instituto Moysis mactatus procul arcebat vastatorem (Exod. 12, 23); agnus autem Dei, qui tollit peccatum mundi, nonne multo magis a peccatis (nos) liberaverit? Ac sanguis illius ovis salutem exhibebat, unigeniti vero (filii) sanguis non magis salutem afferat?“ (cat. 13, 3)²⁰. — Similiter, si quaesieris, quid sit in Christo dignum, quod divinis honoribus colatur, „ne attendas animum ad eum, qui nunc ex Bethlehem egressus est, sed adora eum, qui aeternae a patre genitus est“ (cat. 11, 20). Cave autem, ne propterea Christum Deum et Christum hominem in duas personas divides et in eam opinionem rem adducas, ut ille, qui venerationem divinam meretur filius Dei, tibi non una cum Jesu homine ex Maria natus nec una adoratione cum illo conjungendus videatur; sed „ille ipse unigenitus filius Dei ... iste iterum natus est ex virgine“ (cat. 12, 4); ex quo efficitur, ut a nobis etiam „adoretur dominus e virgine natus“ (cat. 12, 33), sicut „Christus crucifixus a toto orbe adoratur“ (cat. 4, 13). Si tenuissimus scrupulus residere videtur, certe expelletur paucissimis illis iisdemque gravissimis verbis (cat. 11, 19), quibus Maria vocatur „παρθένος ἢ θεοτόκος“; qui insignis titulus matri Christi nullo modo conveniret, nisi filius matris, Christus homo, idem et esset verus Deus, vel ut aliis verbis idem dicam, nisi humana Christi natura ab ultimo vitae initio in persona divina consisteret. Quamobrem optimo jure honorificum hoc Mariae virginis nomen jam antiquitus tantum valuit, ut in eo aut comprobato aut rejecto semper veri aut falsi nota manifesto deprehensa appareret. —

Valete, commilitones, et quod dixit Cyrillus catechumenis initiandis, hoc etiam vobis dictum esse velitis: „Puritatis alumni et castitatis discipuli, Deum ex virgine natum labiis castitate plenis celebretis“ (cat. 12, 1).

²⁰) „Neque enim vilis homo erat qui patiebatur, sed Deus inhumanatus de obedientiae praemio decertans“. Cat. 13, 6.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Theologiam pastoraalem docebit sexies per hebd. hora VIII.
- II. Jus matrimoniale tradet diebus Lunae et Jovis hora VII.
- III. De arte catechetica disseret diebus Martis et Veneris hora VII.

Dr. Franciscus Dittrich, P. P. O.

- I. Historiam ecclesiasticam medii aevi enarrabit quater per hebd. hora IX—X.
- II. Repetitiones de historia ecclesiastica instituet semel per hebd. hora IX—X.
- III. De arte christiana disseret semel per hebd. hora def.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

- I. De gratia et justificatione, de Sacramentis deque rebus novissimis disputabit, quinquies vel sexies per hebd. hora X.
- II. Selecta capita libri Geneseos interpretari perget bis terve per hebd. hora antem. VII. diebus assignandis.
- III. Linguae Hebraicae grammaticam doctrinam instituet, exercitia interpretatoria adjungens ter p. heb. item hora VII dieb. ass.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

- I. Introductionem in sacros V. et N. T. libros dabit bis per hebd. hora II.
- II. Evangelium sec. Lucam interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
- III. Grammaticam aut Arabicam aut Syriacam docebit horis def.

Dr. Jul. Marquardt, P. P. O.

- I. Doctrina de virtutibus et officiis ad vitam socialem pertinentibus absoluta, principia theologiae moralis explicabit quater vel quinquies p. hebd. hor. XI.
- II. Repetitiones de selectis doctrinae ethicae capitibus instituet semel p. hebd. hora XI.
- III. Veterum apologetarum vitas et scripta enarrabit horis def.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Jos. Bender, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Historiam medii aevi inde a Carolorum exitu tradet ter per hebdomadem hora XI.
- II. Germanorum antiquitates, imprimis res mythologicas, exponet semel vel bis per hebd. h. XI.
- III. De praecipuis literarum apud Germanos cultarum generibus disseret semel vel bis per hebd. h. XI.
- IV. Selecta historiae antiquae capita critice tractabit semel per hebd. h. XI.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

Scholas non habebit.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.


- I. Exercitationes philologas in Lactantii de mortibus persecutorum et institutionum divinarum libb. h. def. instituet.
- II. Antiquitates qu. v. imprimis sacras inscriptionum graecarum et latinarum interpretatione illustrabit bis hebdomade h. IX.
- III. Euripidis Iphigeniam Tauricam bis hebdomade h. IX interpretabitur.


Dr. Wilh. Killing, P. P. O.

- I. De legum naturalium divinaeque revelationis consensu quater quinquiesve hebdomade disseret h. VIII.
- II. Botanice docebit bis per hebdomadem h. VIII.
- III. Geometriam analyticam tradet hor. def.

Dr. Jos. Krause.

- I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebd. hora X.
- II. Logicam et noeticam docebit bis per hebd. hora X.
- III. Historiam philosophiae medii aevi enarrabit semel per hebd. hora X.





03824